Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Quia nos propriis manibus sepelivimus eum. Non erat
autem iste de quo interrogabant eos, sed alius indissimiliter
ei similans. Dixerunt ergo eis mensem et diem ipsius obitus.
Illi vero tamquam pro mortuo faciebant ei tres collectas
per singulos annos. Post .iiii. itaque annos venit in
cyprum fuga lapsus a persis. Dixerunt ergo ei sui. Vere
frater nos audivimus quod mortuus esses. et memoriam tui
faciebamus ter in anno. Cum ergo audisset quod in anno
facerent pro eo memoriam. interrogavit eos in quo mense
hec celebrarent. Et illis dicentibus: sanctis theophaniis et
dominica sancta. atque pentecosten. Dixit ille. Quia istis tribus
temporibus anni veniebat quidam candidatus ut sol.
et dissolvebat me invisibiliter a vinculis ferreis et
a custodia. et movebar deambulando tota die. et
nemo recognoscebat me. et in crastinum invenie-
bar vincula ferrea portans. Dicebat ergo sanctus quia ex
hoc discimus habere dormientes requiem. quando
pro eis collectas facimus.

Quod in actibus apostolorum audivimus factum.
hoc frequenter et huic compatientissimo accidebat.
Videntes enim multi indesinentem eius et inscrutabi-
lem circa egentes conpassionem. movebantur multo-
ciens ad vendenda multa de substantiis suis. et
ferentes prebebant dei devoto ministro. Unde et quidam
veniens una dierum offerre ei .vii. libras auri et dimi-
diam satisfaciens sancto quod non possideret aliud aliquid
in auro. Petebat enim eum cum multis genu flexionibus
ut oraret quatinus deus salvaret filium eius. Habebat
enim unum solummodo filium quasi annorum quindecim. ut
reduceret navim eius cum bono ab affrica. Nunc enim
abierat. Accipiens ergo summus sacerdos aurum de ma-
nu eius. et miratus est tam esse magnanimum ad offe-
rendam totam quantitatem auri quam possidebat. ora-
vit quidem et in facie multum. et sic eum dimisit. Tamen
propter multam eius fidem posuit sanctam sub mensam liga-
turam quantitatis patriarcha in oratorio cubiculi sui. et
synaxim statim fecit perfectam super eam pro eo qui hanc
obtulerat satis habundeque deum rogans quatinus et
filium eius salvaret et navim cum salute reduceret secundum
quod fuerat postulatus ab illo. Nec dum ergo .xxx. transac-
tis diebus defunctus est filius hominis illius qui obtulerat
.vii. libras et dimidiam patriarche. et in tercio die mortis
pueri accepit et navim suam ab affrica in qua erat et frater
germanus eidem viri creditor. et veniens iuxta fa-
rum naufragium pertulit. et perdidit que erat plena. et
non sunt salvate nisi anime et scapha vacua. Cum ergo et
hunc casum didicisset evenisse sibi dominus navis et pater
pueri. secundum verbum prophete. paulominus habitavit
in inferno anima mea. Non dum enim tribulatione filii
sui extincta. comprehendit eum et navis. Relata sunt
itaque omnia que acciderant ei patriarche. et pene plus
quam is qui hec perpessus fuerat in tristicia morabatur maxime
propter filium eius unicum. Nesciens ergo quid faceret. rogat
misericordissimum dominum ut consolaretur virum in ipsa
pietate sua. Convocare autem eum et consolari ipsa
coram sanctus erubescebat. Verumtamen mandavit ei ut
nullatenus desperaret. neque enim sine iusto iudicio deus
facit aliquid. sed omnia in hoc quod expedit quod nos
ignoramus. Ergo ut non perdat mercedem quam fecit in .vii.
et dimidia libra. et fidem quam possederat circa sanctum pa-
triarcham. iam non ut et nos in temptationibus que nobis
eveniunt quando aliquid boni fecerimus. ut inperturbati
et gratias referentes ad dominum permaneamus. videt in som-
nis iam dictus philochristus vir. postera nocte quendam
quasi in habitu sanctissimi patriarche dicentem sibi. Ut
quid tribularis frater et merore solveris? Nonne tu ro-
gasti ut peterem a deo quatinus salvus fieret filius tuus?
Ecce salvus factus est. Crede michi si viveret. pravus
et inmundus homo fieret. Et de navi tua vere non deus
placaretur pro bono quod fecisti per meam vilitatem. nam sen-
tentia erat data. quatenus ut tota iaceret cum animabus
in profundum pergeret. et perderes fratrem tuum. Sed surge
glorifica dominum qui donavit tibi eum. et salvavit filium tu-
um mundum de hoc seculo vano. Evigilans itaque vir
invenit filium cor suum consolatum. et universam tristici-
am eius eversam vel eiectam. et indutus vestimenta sua.
venit cursim ad honorabilissimum patriarcham. et
iactavit se ad pedes eius gratias agens deo. et ei narrans
visionem quam viderat. Quam audiens iustissimus dixit.
Gloria tibi benigne misericors. qui et deprecationes peccatorum
exaudis. Iterumque ad hominem dixit. Nequaquam o fili
orationi mee gratiam omnino asscribas. sed deo et fidei
tue. Hec enim omnia impetrare valuit. Erat enim
humiliter sentiens valde sanctus: verbis scilicet atque
prudentia.

Euntes aliquando beato hoc ad visitandos
pauperes in locum qui dicitur cesarium. Ubi enim eis fecerat
quasi thoros quosdam plurimos. ligneis tabulis pavi-
mento strato ad requiescendos eos. et simul cum storiis
et ricanis per totam hyemem cum quodam episcopo eorum qui cum
eo erant amatore pecunie passibili in presso. dixit
patriarcha ad eum. Domina et honora frater troyle fratres christi.
Hoc enim nomen ei erat. Nuntiaverat enim quidam patri-
arche quod .xxx. libras auri portaret. et in ipsa hora do-
mestico eidem troyli episcopi ut emeret speciem argenti
anaglifi gratia mense sue. Episcopus autem tamquam veritus ser-

143